



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XVIII. Vtrùm poßibile sit auxilium efficax physicè prædeterminans
voluntatem in actu primo saluo libero vsu eisdem voluntatis in eodem actu
secundo, ac subinde en libertas quo ad exercitium in actu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

est in eorum libera voluntate. Ergo in eadem voluntate erat facere aliquid, quo vocatio in eis esset congrua, non fuit tamen in voluntate eorum facere ut prædeterminarentur.

Et hinc etiam facilis est responsio ad ultimam instantiam, nam is qui post sufficientem vocationem non consentit seu operatur, non caret aliquo principio supernaturali ad operationem, sed tantum concursu simultaneo, cuius carentia non est ex parte Dei, sed ex parte liberi arbitrij, nam Deus ex se paratus est, & offert illum concursum homini vocato; ipse autem homo non vult influxum ex parte liberi arbitrij necessariam adhibere, & ideo & actuali concursu & operatione caret, quod in auxilio prædeterminante locum non habet, ut satis probatum est. Non ergo rectè existimant alij auctores eandem esse difficultatem de auxilio simultaneo in operatione imbibito, & de prædeterminatione, cum differentia sit notissima: nam auxilium simultaneum non fit sine co-operatione liberi arbitrij, & ideo potest impediri per voluntatem hominis liberè non adhibentis suam concausationem, ut sic dicam, prædeterminatio autem est à solo Deo, & præcedit ordine naturæ, & causalitatis omnem influxum liberi arbitrij, quia nec illius preparationem, seu dispositionem, nec concausationem requirit, imò est causa influxus eius, & ideo non habet, unde sit in potestate liberi arbitrij.

Instat vtrò Ledesma, quia etiam auxilium physicum intus imbibitum in ipsa operatione est causa effectiva ipsius operationis, ergo est prius natura quam illa & præuium ad illam. Et è contrario etiam auxilium prædeterminans tenet se ex parte actus, & non ex parte principij, ergo est eadem diff. cultas. Respondetur vtramque partem antecedentis falsam esse, & contra dicta eiusdem argumentis in alijs locis, nam auxilium imbibitum in ipsa actione non potest esse causa actionis voluntatis, cum sit idem indubitanter cum ipsa: unde quidam eiusdem ordinis Theologus, & prædeterminationis defensor dixit non obstante subordinatione ad causam primam simul natura attingi effectum, & actionem à causa prima, & secunda. Ridelicet quod est asserere quod Deus prius natura faciat meam visionem quam ego, aut quod prius natura faciat meum consensum quam mea voluntas, esto à voluntate non fiat nisi cum subordinatione ad primam causam. De auxilio autem prædeterminante si deur satis per se patet esse omnino prius causalitate & natura, supraque de concursu præiudicatis ostensum est præcedere per modum principij, vel complementi eius, quod multo est evidenti in auxilio prædeterminante, quod non tantum ponitur ob generalem concursum, sed ut det vires voluntati ut declaratum est.

CAP V T XVIII.

Utrum possibile sit auxilium efficax physice prædeterminans voluntatem in actu primo (salvo libero vtriusque voluntatis in eodem actu secundo, ac subinde an libertas quo ad exercitium in actu voluntatis simul possit cum auxilio physice & in actu primo prædeterminante voluntatem concordari.

Nonnulli ex Theologis qui negant auxilium prædeterminans in actu primo esse necessarium ad omnia opera pietatis, licet confitentur.

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

quenter regent in illo consistere adæquate auxilium efficax, nihilominus fatentur interdum dare Deum auxilium efficax per hunc modum prædeterminationis, quia est consentaneus omnipotentia Dei, & efficacia diuinæ voluntatis, & non repugnat apertè libertati. Primum, quia illa motio tantum inducet necessitatem in sensu composito, quæ non repugnat libertati. Secundò, quia Deus sapientia sua infinita nouit vnamquamque causam secundam mouere fortiter, & suauiter, fortiter ut efficeret faciat illam facere, & suauiter ut modo illi consentaneo illam operari faciat, ac subinde liberè si libera sit, licet nos fortasse modum illum operandi Dei non assequamur. Tertio argumentantur exemplis vtriusque actibus prædefinitis seu prædestinatis, aut electorum. Præsertim verò in actibus voluntatis Christi, in subitaneis conuersionibus ut Pauli, & in confirmatis in gratia.

Hanc sententiam refert P. Aluar. disput. 91. nu. 5. & in margine citatur P. Lorca, sed ille in alio sensu loquutus est ut cap. 13. declarabo. Eandem opinionem tribuit Ledesma F. Ioanni Vincent. in artic. 1. & in principio questionis refert aliquos dixisse auxilium prædeterminans dari prædestinatis ut infallibiliter operentur, nam ille modus operandi est necessarius ad certitudinem antecedentem prædeterminationis: reprobis verò ad bene operandum non dari, quia in illis non est necessaria illa infallibilitas antecedens. Refert item alios dixisse hoc auxilium prædeterminans dari in natura lapsa, non verò datum fuisse Angelis Sanctis, neque etiam Adamo fuisse necessarium in statu innocentia. Qui omnes dicendi modi supponunt hoc auxilium esse possibile salva libertate, esto non sit per se necessarium, & hanc opinionem ferre ante triginta annos in quibusdam solemnibus disputationibus cuiusdam insignis collegij D. Thomæ Aquinatis vidi publicè defendi. Et videtur illam inlinuare Card. Tolet. ad Rom. 11. notat. 4. dicens. Augustinus existimat totum esse gratia, quia facit hominem cooperari, & determinat arbitrium hominis, quia dat ut velle possit, & facit velle. Existimo tamen non semper id esse, sed sepe inueni hominem ut velle & operari possit, quod tamen velit, & operetur hominis est faciens quod est in se, quamuis non sine adiuvante gratia. vbi dicens, existimo non semper id esse, significat aliquando id esse, & quod difficilius est, sentit secundum Augustinum semper ita esse quod postea videbimus.

Nihilominus dico auxilium, motionem, qualitatem, ante entitatem inditam voluntati ex sola efficientia Dei sine concursu libero effectiuo voluntatis, & ex se prædeterminans illam simpliciter seu physice in actu primo ad eliciendum actum secundum, omnino repugnare cum libertate eiusdem actus, & hoc modo esse impossibilem. Hanc sententiam tractavi in opusculis, & in Metaphysica, & in prima parte, illamque censeo communem Theologorum: Quia verò de hoc etiam est controuersia sciendum est questionem hanc cœpisse in Hispania ante annos 40. distindere, & in proprijs terminis in scholis agitari, & præsertim in Salamanticensi, de qua possum tanquam ocularis testis deponere: ex libris vero postea editis intelligimus eandem controuersiam in alijs etiam prouincijs, & regionibus ortam esse, & paulatim adeo creuisse ut oportuerit Apostolicam se dem modum in hac disputatione seruandum præscribere. De auctoribus ergo qui ante hanc ortam sententiam scripserunt dicam, postea, quia magis labrica esse potest eorum sententia, eo quod non tam clarè neque eisdem verbis, quæ nunc vsurpantur, rem disputantur, solum ergo hic adnotabo aliquos qui post illa tempora scripserunt, & in primis satis. orum plures ex Theolo-

gis Societatis Iesu sententiam hanc & accuratè disputasse, & pro viribus asseruisse. Præcipuè verò id præstitit illustrissimus Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12. Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 2. qu. 5. Molina in concordia ad art. 13. quæstion. 14. disp. 13. 38. & 40. & ad qu. 23. disp. 1. memb. 6. Valent. in controuersia lib. de diuin. grat. p. 2. cap. 3. & in 2. tom. summæ Theologiæ disput. 8. quæst. 3. punct. 4. §. 2. Vasquez. 1. p. disput. 88. & 98. & 1. 2. d. sp. 185. cap. 6. & 11. Leonard. Les. in disputatione speciali de gratia efficaci, & alij obiter, & per occasionem eandem sententiam indicant.

4. Ex aliis vero modernis scriptoribus ex professo defendit hanc sententiam Illustriss. Ferdinand. Mascaregnas in tract. de auxiliis diuin. grat. & Francisc. Diotalleui in opusc. de concursu Dei ad actus liberos. & Alexander Pesant. 1. 2. qu. 111. art. 5. dis. 4. ubi satis explicat suam sententiam licet in disp. 7. eam suspendere videatur eo quod Clementis VIII. decretum ea de re illo tempore expectaretur. Et eandem doctrinam habet in 1. part. q. 19. art. 8. & q. 23. P. etiam Lorea licet in contrarium allegetur quia aliquam prædeterminationem physicam admittit esse possibilem, nihilominus in sensu in quo nunc loquitur, expresse tenet hanc sententiam 1. 2. disp. 21. de grat. sub. tit. *Explicatur concordia*, & c. declarando mentem suam ait, *Non enim est existimandum hoc auxilium esse aliquam qualitatem: per modum actus primi determinantis voluntatem ut quidem præ philosophantes dicunt, hac enim conferret libertatem, quia quacunque ratione voluntas ante operationem intelligatur determinata, auferitur libertas.* Eandem sententiam multis modis docet & confirmat Cursel lib. 2. controuersiar. præsertim à num. 137. per multa sequentia, & specialiter in nu. centesimo septuagesimo. Textu dicit. *Videri autem secundum fidem nullum esse auxilium ex his quæ tenent se ex parte voluntatis create, quatenus per modum principij præsupponitur suis actionibus, quod ita determinet voluntatem ad agendum, ut non relinquat ipsam secundum se, & intrinsece indifferentem, & interminatam physicè ad agendum, & non agendum, ita ut pro sua libertate possit re ipsa agere, & non agere, quod la. d. postea probat.* Breuius hoc punctum attingens Ludouic. Tena in epist. ad Hebr. cap. 4. in vltimis verbis nostræ sententiæ subscribit sine disputatione vel probatione, & cap. 12. difficult. 2. num. 59. ait gratiam non esse efficacem sine nostro consensu, imo nostro consensu fieri efficacem. Pro hac nostra sententia quantum ad hanc partem allego F. Cursel in opusc. lib. 1. disp. 4. conclus. 4. quæ est. *Ita affirmatur à nobis efficacia diuini auxilij esse à Deo, & non ex nostrâ cooperatione, ut non dicamus Deum prædeterminare nos ad extra se solo aliqua actione prius in nobis posita, seu aliqua actione prædeterminante prius in nobis recepta, in qua mere passiuè se habeat liberum arbitrium, quod latissimè repetit in explicatione conclusionis 5. & addit. Quia sic tolleretur libertas, & necessitaretur voluntas.* Et in disp. 5. & aliis locis sæpe id repetit negando expresse posse salua libertate prædeterminari voluntatem physicè, & in actu primo per actionem solius Dei ipsa voluntate passiuè se habente. Eeodem modo possemus pro eadem sententia referre Ledesinam, cuius verba paulo post referam.

5. Vt ratione probemus assertionem, sup. on. quod supponendum, sæpe dixi, non esse controuersiam an voluntas nostra iam sufficienter vocata indigeat principio physicè cooperante illi, & adiuuante illa cum actu operatur nam in hoc omnes convenimus, estq; certissimum, & euident supposito principio fidei quod illi actus sunt supernaturales. Neque etiam est controuersia, quod sit in particulari hoc principium, an licet sit habitus in his qui operantur ex habitu, in aliis vero sit vel ipsa vocatio physicè concurrens

cum potentia, vel sit ipsa virtus increata Dei per se ipsam eleuans & adiuuans potentiam, vel sit etiam aliquis actus primus datus per modum transuentis. Hi enim omnes modi concipi possunt sine prædeterminatione physica volūtatis, & si hoc modo quilibet illorum asseratur, habet suam probabilitatem, & non pertinet ad præsentem controuersiam, sed ad aliam, quæ lib. 3. tractata est. In præsentem ergo solum dicimus illud principium quod cum voluntate efficit physicè actum supernaturalem, non posse tale esse ut simul etiam formaliter ipsam determinet, quin etiam libertatè in efficientia talis actus tollat, illamque ad eum exercendum absolute necessitet.

Superest ergo, ut explicata assertio probetur, quia posito in voluntate illo principio prædeterminante illam, actus non est liber remote, seu in causa, neque etiam est formaliter liber, ergo nullo modo. Consequentia est clara, & Maior similiter, quia impressio seu receptio talis auxilij non est libera voluntati, quia neq; ab illa fit, neq; voluntas ad illa se disponit, neq; ex libero usu eius pendet ut capite præcedenti probatum est, consequenter in illa sententia loquendo, ergo actus qui necessario sequitur ex illa causa non est liber in causa, quia illa prædeterminatio est causa quasi adæquata illius actus, ut etiam prædicti auctores loquuntur, seu est vnica, & totalis radix, in quam vltimò resoluitur talis actus inter principia proxima eius: nam illud auxilium vltimò resoluitur in diuinam voluntatem, quæ est altior causa minusque à libertate hominis pendens. Iam ergo probatur Minor de formali libertate, quia actus est liber formaliter ea habitudine ad suum proximum principium, sed hic actus est liber ad suum proximum principium, ergo. Probatur minor, quia proximum principium talis actus non est nuda vel sola voluntas, sed hic actus est compositum seu constitutum à voluntate, & hac entitate auxilij, sed ab hoc composito inenitabili necessitate procedit actus, ergo non est formaliter liber ex habitudine ne ad suum principium.

Hæc ratio per se spectata videtur multum cogere intellectum, potest autem eius efficacia variis modis ex hæcenus dictis declarari. Primus est quia auxilium illud per se speciatum non efficit libere sed necessario, ut supponitur, quia natura sua est determinatum ad exercitium sui actus, adeo videntur auctores illius sententiæ non solum naturaliter, verum etiam neque de potentia absoluta posse ab actione separari. Nec etiam ut compositum voluntati, quia (ut ait Aluar.) auxilium est ex operantis gratia non subditur quantum ad aduim potestati nostræ liberæ voluntatis, sed potius est conuerso eam sibi subiicit, & obsequentem facit fortiter, & suauiter, ita vero fortiter ut non possit voluntas illi resistere, sed ista duo sunt impossibilia talis auxilij entitatem inesse voluntati, & illa non cooperari, ergo non potest actus ille demonstrari, aut esse formaliter liber. Probatur consequentia, quia tam necessaria est cooperatio illa voluntatis, quam efficientia ipsius auxilij, quia auxilium inenitabili necessitate post se trahit voluntatem, & efficientia eius prorsus est necessaria homini, quia eius domino non subditur, ergo non minus necessaria est coefficientia voluntatis, non habet ergo ille actus, vnde habeat formalem libertatem.

Ad vim huius rationis vitandam addit Aluar. notandum verbum in dicta disp. 87. nam cum dixisset voluntatem non subdere sibi auxilium efficax quoad vsum, sed illi ita subiici ut impossibile sit habere illud, & simul illi non cooperari, addit, *quamuis possit, si velit, non cooperari.* Sed quis non statim in his verbis repugnantiam videat. Ut si quis diceret impossibile esse non cogitante intellectum de Deo non posse voluntatem ipsam amare, posset

tamen si velit, planè diceret repugnantia, quia conditio si velit, non habet locum, ubi supponitur volendi impossibilitas. Hæc autem potestas tollitur dum dicitur esse impossibile quod proponitur. Quod si sensus sit posse voluntatem non cooperari, si velit ablata entitate auxilij efficacis, illud, non est non posse cooperari si velit, sed est non posse tunc operari, nec posse velle, quia neutrum potest sine prædeterminatione ut ipsi dicunt. Sicut in exemplo posito valde absurdum esset dicere intellectu non cogitante de aliquo obiecto non posse quidem cum illo incogitantia coniungi, operationem voluntatis, quamvis possit circa rem illam operari si velit subintelligendo ablata incogitantia seu posita cogitatione in intellectu, quia hoc non est velle operari cum incogitantia, sed cum cogitatione, ita enim illud prius non est posse velle non cooperari auxilio efficaci præexistenti, sed est posse non velle, aut potius non posse velle, si illud non detur. Vnde sicut in dicto exemplo propter illam potentiam volendi ablata incogitantia non potest homo dici libere non velle rem de qua non cogitat, si necessario de illa non cogitat, ita in præfati propter potestatem non cooperandi ablata entitate auxilij non potest dici voluntatem libere cooperari auxilio, quod necessarium, & sine vfu libertatis in se recipit, & quo stante non potest non cooperari.

Secundus modus explicandi vim dictæ rationis se, videtur ex præcedenti, & est satis vulgaris, quia per tale auxilium quædam necessitas inferitur voluntati libertati actus contraria. Probat ut illatio, quia voluntas præuenitur quadam motione, cui non potest resistere. Ergo patitur necessitatem in agendo per talem impetum, quia satis evidens necessitas est illa cui resisti non potest, cum ante libertatis vsum inferatur. Et in idem ferè redit, si dicamus auxilium illud non relinquere in voluntate libera potestatem agendi, & non agendi, quia ubi non est potestas resistendi, neque est potestas non agendi, sine potestate autem non agendi non est indifferentia, ergo nec libertas. Vergetque magis hæc ratio, quia supra ostensum est ad vsum liberum necessariam esse potentiam proximam agendi & non agendi, posita autem illa prædeterminatione non manet talis potestas proxima, quia impossibile est non agere stante voluntate in tali dispositione, ergo exercitium talis actus non potest esse liberum.

Ad hanc rationem duo sunt principales modi respondendi. Primus admittere voluntatem nostram non esse liberam in receptione auxilij, quia à solo Deo fit, nihilominus tamen libere operari cum tali auxilio. Secundus est etiam in receptione ipsius auxilij efficacis servari, & intervenire vsum libertatis. Et quia in utroque modo multiplicitè insinuitur, & hoc est vnum ex præcipuis punctis huius controverſiæ, de utroque suo ordine dicemus, & multa quæ hac occasione ab aliis auctoribus dicuntur expendemus. Primus ergo respondendi modus duplici verborum forma explicatur, sed in idem recidunt. Communiter ergo dicitur hæc necessitas esse tantum in sensu composito, & ideo non tollere libertatem. Contra hoc vero opponimus illam necessitatem compositam esse ex antecedente suppositione, & ideo repugnare libertati iuxta doctrinam Anselmi in prolegomeno primo traditam. Et ideo alij respondent, licet voluntas posita auxilio non possit non agere in sensu composito, posse in sensu diuiso, & id satis esse ad libertatem.

Sed hæc responsio satis refutata est in prolegomeno 1. quia illa potentia in sensu diuiso non est potentia propriè actiua sed magis passiva quatenus potest Deus auferre illam prædeterminationem,

Fr. Siquere de Gratia Pars II.

& relinquere voluntatem in sua naturali potestate. Et in idem redit quod illa non est potentia proxima ad vtrumque, sed est proxima ad agendum, & remota ad non agendum, quæ non sufficit ad libertatem quando illud, quod proxime necessarium est ad non agendum non est in potestate voluntatis. Sic autem est in præfati, nam voluntas prædeterminata per auxilium, non potest immediate exercere potestatem non agendi, quia stante auxilio non potest cum illo componere suspensionem actus, ideo enim illa potestas, quam retinet, dicitur esse in sensu diuiso, ut ergo exerceat illam potestatem oportet ut tollatur prædeterminatio. Et hæc ratione vocamus illam potestatem remotam, seu mediatam. Non est autem in potestate voluntatis ponere illud, quod proxime necessarium est ad non agendum nimirum tollere prædeterminationem, quia sicut à solo Deo, & sua voluntate efficaci posita est, ita ab illo tolli potest, quia solum ab illo pendet.

Confirmatur, & declaratur, quia ut voluntas in hoc instanti iam prædeterminata in actu primo per hoc auxilium sit libera, oportet, ut prius natura, quæ eliciat actum, sit potens ad non eliciendum illum in illo instanti temporis in quo operatur, alias numquam actus esset liber, sed posita prædeterminatione iam non habet potestatem non agendi pro illo eodem instanti, quia non habet potestatem componendi carentiam actus cum illo auxilio, ergo reuera non est libera pro eo instanti ad illum actum. Aliter explicatur, quia ut actus sit liber, oportet ut eadè potentia, quæ est integra facultas volendi, sit capax nolitionis, seu carentiæ volitionis, quia alias in illo adæquato principio non esset indifferentia neque potestas ad opposita, sed adæquatum principium consensus supernaturalis non est sola voluntas, sed compositum ex voluntate, & auxilio, quod compositum non est capax carentiæ actus, & multominus nolitionis contrariæ ad quam non prædestinatur, ergo illa potentia, quæ in sensu diuiso manet ad libertatem non sufficit, quia non est talis quæ exerceri possit à totali, & integro principio liberi actus. Ideoque merito dicimus potentiam proximam ad non agendum esse necessariam ad actum liberum, quia potestas remota, quæ in ipsa potentia durat, solum potest deferuire pro alio tempore, & pro sola voluntate, si auferatur prædeterminatio, quod satis non est. Et confirmatur, quia si actus à voluntate sic prædeterminatus sit, non est in potestate voluntatis cessare ab illo, vel sua potestate inchoare, (ut sic dicam,) suspensionem actus, nisi Deus prius natura auferat prædeterminationem, ergo continuatio illius actus non est libera, nec est in potestate voluntatis, ergo nec inchoatio, seu productio illius fuit libera. Denique si res moraliter consideretur, videtur per se evidens illam potentiam, quæ in sensu diuiso manet sub illo auxilio nihil, conducere ad laudem actus, vel hominis operantis, quia quod potestas illa maneat sub auxilio naturali, & necessariū est, & illa potestas tunc non exercetur ab ipso homine vltimo modo libero, quia hic, & nunc non caret suspensione actus per dominum, & potestatem suam, sed quia tali modo præuenitur, ut inenitabiliter habeat talem actum, ergo reuera non manet actus liber.

Nihil etiam ad rem pertinet quod utrumdam distinctionis duplicis necessitatis, scilicet ab intrinseco, & dicentium necessitate, quæ ex hoc auxilio nascitur respectu voluntatis esse ab extrinseco, & ideo non repugnare eius libertati, tunc repugnat necessitas ab intrinseco, qualis est in amore beatifico. Hæc inquam responsio nihil prodest, quia in primo prolegomeno ostensum non minus repugnare libertati necessitate ab extrinseco, quia non minus impedit vsum necessitatis non agendi. Et reuera (ut mox dicebam,) moraliter rem considerando, ut actus non

II.

12.

Reiicitur quorundam distinctio duplicis necessitatis.

fit laude, vel reprehensione, premio, vel poena dignus, parum refert, quod necessitas hinc, vel inde proveniat, si eadem sit, ut sit homini inevitabilis qualis esset praesens necessitas, ut expressis verbis aliqui ex dictis authoribus consentiunt, & sanè consequenter, quandoquidem impressio talis qualitatis evitari non potest ab homine, si Deus vult illam dare. Neque emanatio actionis ab auxilio inevitabilis est, etiam per potentiam absolutam, ut ipsi dicunt. Quod autem id quod est inevitabile non possit ad culpam imputari per se notum videtur, cur enim inculpabile est, quod per ignorantiam inuincibile vel per absolutam coactionem fit, nisi quia est inevitabile. Item ob hanc causam patres defendentes libertatem contra haereticos negantes illam ex parte providentiae, vel actionis Dei summo studio defenderunt, & declararunt nullam necessitatem ab extrinseco inferri voluntati, per Dei scientiam, vel providentiam, supponentes profecto hanc necessitatem repugnare libertati actionis. Hoc autem constat ex dictis in prolegom. i. & plures patres asserimus infra eorum mentes in hac controverfia inuestigantes. Denique addo quod posito illo genere praedeterminantis auxilij necessitas non tantum erit ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco, quia entitas talis auxilij natura sua, & ab intrinseco est determinata ad agendum, sicut impetus impressus lapidi, licet sit illi intrinsecus, & violentum motum in illo faciat, nihilominus ab intrinseco, & naturaliter est determinatus ad faciendum illum motum, ergo multo magis auxilium illud est per se & ab intrinseca sua natura determinatum ad illam actionem cum nec Deus ipse, ut aiunt, possit illam impedire, ergo necessitas illa respectu auxilij est ab intrinseco & consequenter respectu voluntatis oritur illa necessitas ex intrinseca impotentia qua habet ad resistendum illi auxilio, & ita respectu illius principij ad aequati necessitas illa est ab intrinseco, quandoquidem oritur ex ultimo, & formali constitutivum illius principij. Et haec ratio maxime urget si talis praedeterminatio servata proportionem est ad omnem actionem voluntatis necessaria: nam tunc voluntas natura sua postulat illum modum agendi, & ita necessitas illa est connaturaliter debita voluntati, & ideo satis ab intrinseco existit. Verumtamen etiam si non sit per se necessaria talis praedeterminatio quoties data fuerit necessitas erit ab intrinseco ex parte voluntatis, saltem ob intrinsecam impotentiam resistendi naturali impulsioni talis auxilij, ut dixi.

CAPVT XIX.

In humana voluntate non posse simul esse auxilium ex se ac physice illam praedeterminans cum potestate resistendi etiam auxilio.

1. **N**onnulli ex his auctoribus, qui auxilium praedeterminans defendunt, cum viderint sine potestate resistendi non posse libertatem subsistere, dicere tentarunt hoc auxilium praedeterminans non imponere necessitatem, nec auferre potestatem non agendi, etiam in sensu composito, sed solum determinare ad semper sic agendum, quae non est necessitas, sed determinatio, nec tollit potestatem resistendi si velit etiam in sensu composito, sed solum facit ut voluntas illa potestate non utatur, quia licet infallibiliter id faciat, non tamen inevitabiliter. Vnde consequenter aiunt, illud auxilium, licet determinet potentiam ad utrumque, etiam in sensu composito, licet infallibiliter in alteram partem inclinanda sit voluntas. Hunc modum defen-

dendi illam sententiam sequutus est Cabrera supra disput. 2. §. 8. num. 309. 310. & sequentibus. Nec videtur ab hac sententia alienus Cumel. disp. 4. de 5. ubi sepius negat voluntatem determinari per auxilium praedium, donec voluntas sua ratione determinet cum efficacia illius auxilij, & consequenter ait habere vim ad ponendum illi obicem, & resistendum ut specialiter patet disp. 5. post conclus. 3. sub tit. *alijs argumentis*. §. *adverte tamen*. Et pro hac responsione facit quod notat Ledesma art. 2. ad 5. quod voluntas affecta illo auxilio operatur infallibiliter, item quod ait art. 10. ad 1. quod in actu ad quem praedeterminatur voluntas, non est necessitas, sed infallibilitas proveniens ex efficacia auxilij, efficacia autem ait, & necessitas sunt res omnino dissimiles, quia licet necessitas includat intrinsecè efficaciam, efficacia non includit necessitatem, licet includat omnimodam infallibilitatem, nam si hoc verum est cum illa efficacia optime manere poterit potentia ad non agendum, etiam in sensu composito, quia efficacia infallibilis tantum non tollit hanc potentiam, ut nos infra dicemus. Hanc etiam doctrinam sub quadam notanda distinctione admittere videtur Alvarez disput. 93. m. 2. ait enim auxilium efficax dupliciter posse considerari. Primo secundum suam entitatem praecise, id est, talis motio, vel entitas in voluntate recepta, & sub hac ratione ait voluntatem posse resistere auxilio efficaci, quod ait ab omnibus concedi. Vnde de fit non obstante tali auxilio efficaci sic spectato voluntatem posse non agere, etiam in sensu composito: nam verbum resistendi sensum compositum inuoluit. Alio modo ait posse auxilium efficax considerari secundum omnem virtutem realem quam habet, ut venit à Deo, & ut est instrumentum voluntatis Dei efficaci, & sic non posse voluntatem illi resistere, & consequenter tantum retinere potestatem ad non agendum in sensu diuiso.

Ex his verò auctoribus Cabrera quantum à sua, & suorum sequacium sententia recedit, tantum nostram sententiam, & rationem factam confirmat, late enim probat ad libertatem necessarium esse ut non obstante praemotione Dei maneat voluntas indifferens simpliciter, & cum potestate ad resistendum & non agendum in sensu composito, quod nos intendimus, estque nostrae rationis fundamentum. Hinc ergo nostram sententiam confirmat, suam verò consequenter deponit. Vnde quidam alius eiusdem doctrinae sectator responsionem illam reiciens dixit. *Nec nobis placent qui dicunt hanc praemotorem efficaciam auxilij in omni sensu relinquere facultatem indifferentem, hoc quippe non est determinare, sed indeterminate. Certe (ait) praedeterminatio quam iste noster reuocat Thomista nouit imprae-determinatio est, & ita quod impossibile institui amplexatur.*

Tres ergo contradictiones in illa doctrina notare possumus. Prima est, quod voluntas physice determinatur ad vnum, & simul maneat indifferens, quia determinatum, & indeterminatum contradictoriè, vel priuatiuè opposita sunt, idem autem est indifferens quod indeterminatum. Præterea sic explico, quia vel est sermo de indifferentia remota, ut sic dicam, & passiva quae est in voluntate secundum se spectata, vel de indifferentia proxima, & in actu primo completo respectu talis actus pro eodem instanti prius natura quam eliciatur. Si de priori tantum sit sermo, est vocum xquiuocatio, quia illa indifferentia est tantum in sensu diuiso, & non sufficit ad libertatem ostendendam, & manet in voluntate etiam intellecta, quia nihil aliud est quam capacitas naturalis ipsius voluntatis, si autem intelligatur secundo modo ut necessarium ad libertatem, sic immediatè, ac formaliter repugnat esse potentiam physice determinatam ad vnum.